

3A

IVSTI FRIDERICI CAROLI HECKER

MEDICINAE PROFESSORIS P. O.

ORD. A QVILAE RVBRAE III CL. C. L. ET ST. VLADIMIRI IV CL. EQUITIS

# ORATIO

IN RECTORATV HABITA

DIE III MENSIS AVGVSTI

IN MEMORIAM FRIDERICI GVILELMI III

REGIS BEATISSIMI

---

BEROLINI

FORMIS A. G. SCHADEANIS.

<sup>31</sup>  
1845.



**Princeps Celsissime,  
Viri Excellentissimi  
Illustrissimi,  
Collegae carissimi,  
Commilitones suavissimi,  
Auditores o. o. ornatissimi!**

**Q**uotannis conditam universitatem eo ipso die celebrantibus nobis, quo beatus Rex divinitus patriae donatus est, tam splendide oratores eximii et eloquenter exposuerunt, qualis FRIDERICUS GUILIELMUS III. et universae reipublicae et nobis fuerit, ut mihi parum aut nihil supersit, quod dignum auribus illustrissimorum doctissimorumque virorum proferam. Movet me novum et insolitum munus, sensus vestros, collegae carissimi, interpretandi, qui saepe audita et vulgaria contemnit, movet me expectatio vestra, auditores illustrissimi, hac maxime in parentatione annua, memorem publicae laetitiae, qua olim hunc diem celebrare soliti, memorem luctus et lacrymarum, quibus vita defunctum optimum regem prosecuti sumus. Quidni igitur verear, ne virium mearum modulus tantae solemnitati impar sit, qui oratoriis exercitationibus parum adsuetus, unus sim e

medicorum numero, inter quos eloquentes fere nulli, facundi vero intra limites propriae disciplinae haud admodum multi existerunt, quum verborum artificioso splendori nulla aetate operam ex professo dederint, infinita rerum naturae multitudine et incredibili varietate impediti, quibus nullius linguae nomina, nulla dicendi ars sufficit? Sed erigit haesitantem ac vehementer commotum beati Regis imago, qui regis virtutibus prae ceteris insignis, tam admirabili fuit veri ac morum simplicitatis studio, ut laudes vix ferre posset, verborum fucum vero et eloquentem adulationem aspernaretur. Talis regis memoria eloquentiam non exigit, veniam ideo et indulgentiam a vobis me impetraturum spero, si incommata ac simplici oratione, quantum illi acceptum referamus, in mentem vobis revocavero.

Multi quidem regiae stirpis principes litterarum dignitatem omnemque institutionem publicam promoverunt. Nam ut reliqua instituta omnittam, Universitatem Viadrinam condidit JOACHIMUS I. Elector (1506), Regimontanam ALBERTUS Marchio Brandenburgensis ac primus Dux Borussiae (1544), Tuiscoburgensem FRIDERICUS GUILIELMUS Magnus Elector (1655) Halensem eodem saeculo exeunte FRIDERICUS III. Elector, mox FRIDERICUS I. Borussiae Rex (1694) — studia liberalia summo esse rei-publicae et emolumento et ornamento, ad unum omnes censuere principes nostri: nemo vero, quantum valeret animus doctrina et litteris illustratus, clarius intellexit, quam FRIDERICUS GUILIELMUS III. Etenim tempore calamitatis publicae, qua nunquam tristior populum prostraverat, victo exercitu, florentissimis provinciis a regno avulsis, reliquis vero exhaustis atque ad extremas rerum angustias redactis

et ab hoste magnam partem etiamnum occupatis, se resque suas in arcem ingenii humani recepit, condendae universitatis nostrae consilium cepit, conditam incredibili munificentia exornavit, ac renascentis patriae monumentum erexit perenne. Neque eum eventus fefellit. Nam inter primos litterarum studiosi mox arma cepere, et mortem obire parati inter ipsa tormentorum tonitrua stupenti Europae probarunt, quantum dulcissimam patriam amarent et quomodo revererentur Regem suum juvenes Borussiae. Discant inde gloriosae illius tempestatis obtrectatores, quid sit, ingenuae hominis naturae, virtuti, doctrinae, fortitudini fidem habere, discant, quam firma arx imperii sit sensus et voluntas populi litteris et institutione illustrati. Ita FRIDERICUS GUILIELMUS animi despositionem vicit mente in suam palaestram provocata, et vindex factus est libertatis nostrae, similis FRIDERICO illi II., qui litterarum universitates condendo saeculi sui barbariem, superstitionem, pervicaciam sacerdotalem debellare conatus est, sed ad finem optatum non pervenit magnus et sapiens Imperator, meliori certe saeculo dignissimus.

Miramini forte auditores, quid sit quod remotissima tempora cum nostris, dissimilia prorsus interesse, conferam. At animi humani natura omni saeculo eadem est, institutio tantum, eiusque conditiones, admicula, impedimenta diversa existunt. FRIDERICUS imperator, quum egregius naturae observator et ap-prime doctus esset, et ob id ipsum claro scribendi genere uteretur, populos suos ad propriam ingenii normam institui voluit. Sensibus, quod maxime ad rem pertinet, et in omni doctrina naturali gravissimum est, res naturales acriter et distincte percepit, perceptas tanta simplicitate demonstravit, tantoque

ingenii acumine disposuit, ut melioris observandi rationis vestigia facile in eius libris reperias, quos de arte venandi cum avibus composuit. Quis tantum virum imitari sustinuisset saeculo decimo tertio? Caligabant mentes philosophia scholastica et corruptus **ARISTOTELÆS** longius latiusque dominabatur inter mortales, quam ipse **FRIDERICUS**, qui quum in libertatem studiorum vindicarentur ab imperatore, huic impares laqueos et vincula dialectica mauerunt, quibus irriti persisterent, ne amplius quidquam posteris relinqueretur, quam elementariae istae quatuor qualitates, cum aetiologia et facultatibus peripateticis et ieiuna ista disputandi ratione, quae menti stuporem ante afferret, quam ad rerum naturae contemplationem accederet.

Subit mirari, qui factum sit, ut per tot saecula natura humana, quae divina tandem putatur, tam diuam servitatem perpessa, nunquam ad libertatem aspiraverit, tantumque doctrinae et litteris impedimentum ipsa sibi obstruxerit? Causa est victoria, quam de **PLATONE ARISTOTELÆS** reportaverat. Ille alteram quidem ingenii humani partem excoluerat, omnis scientiae fontes in ipsa mente quaerendo, cuius spontaneam liberamque a sensuum ope vim cognoscendi, speculativam dicunt, mirifice illustraverat, omnem vero cognitionem empiricam, quae a perceptione sensuali incipit, atque ad observationem erecta, certam et probatam cogitandi materiam rationi suggerit, tamquam fallacem et inconstantem adeo reiecerat, ut eam scientia rationali comprehendendi posse, prorsus negaret. Factum est ita, ut philosophia Platonica omnium minime in rerum natura versaretur, et naturae cognitione, quam ipse contempsit, plane destitutus esset **PLATO**, nisi forte illam exceperis, quae in sensum

Graecorum communem abierat — interim vero **PLATONIS** libri, divino affatu conscripti, quo magis in admirationem raperent eius scholae assecras, eo minus, quid omissum et qualis ingenio humano iniuria scendum hoc inexpertae antiquitati est, quae quum in disputationes Platonicas affatim se et magna cum delectatione daret, poëticas nimirum et passim pulchras adeo, ieiuna certe et intricata dialectice expertes, libertate de summis rebus cogitandi et mobili quadam rationis flexibilitate, quam **PLATO** ingenii strenuissime adseruerat, magnopere gavisa est. Et haec quidem rei caput est, si rationem habeamus effectus philosophiae Platonicae in omnem litterarum disciplinam.

**ARISTOTELÆS** contra omnem doctrinam a perceptione sensuali inchoavit, quam tantum abfuit, ut fallacem et inconstantem haberet, ut hac sola omnis scientiae rationalis fundamenta contineri doceret. Proinde totus fuit in cognoscendis erundisque naturae operibus, in singularia incredibili cum assiduitate descendit, novas naturalis disciplinae provincias creavit, omnemque de rebus naturalibus philosophandi rationem instauravit funditus. Quantum praestiterit in singularibus, — quae cave ne flocci facias, nam horum cognitione destituta, omnis naturalis doctrina inanis est et nonnisi sonantia verba proferre apta — minus certe ex caeca antiquitatis admiratione, quam iure ut mihi videor, inexpertam dixi, quam inde colligere licet, quod illorum plurima et confirmata et denuo reperta a nostris hominibus sunt. Bona humanusque omnia, laudabilia, admirabilia. Jam vero **ARISTOTELÆS** liberae naturae observationi sterilia elementariae doctrinae dogmata, qualitates elementarias, cau-

sam materiallem, formalem, efficientem, finalem, facultates commentitas, praefinitas cogitandi formas admiscuit, eaque tam acuta et subtili arte dialectica complexus est, ut qui vere peripateticum se profiteretur, huic ne latum quidem digitum ultra fines rigidae illius et immobilis doctrinae progredi liceret. Frustra divinus **THEOPHRASTUS** magnum praeceptorem secutus naturam observando praeclare et ipse scholae splendorem auxit, frustra speciosa augmenta ad doctrinam naturalem accedere, inter quae Alexandrinam corporis humani anatonem prae ceteris nominino: abolevit, evanuit mox naturae studium, theoria et dialectice peripateticae rerum positae sunt, perit, quam **PLATO** poeta philosophus servaverat, inquirendi, cogitandique libertas. Factum est ita quod feri videmus, ubicunque pygmaei gigantem, ignavi heroem, vecordes sapientem imitantur: ut formam quidem servarent optime, spiritum vero et animam peripateticae doctrinae extinguerent disputationibus suis et commentationibus sophistae Aristotelici, nucleus periret, siliquae et putamina restarent. Quid multa? Vicit Academiam Lyceum perque terrarum orbem persuaserunt mortalibus peripatetici, nullam cognitionem certam et indubitatam haberi posse, nisi quae per cribrum dialecticum acta esset. Taedet fata referre litterarum, quae inde secuta sunt; sufficit **GALENUM** memorare, hominem ingeniosum quidem, doctissimum ac naturae observandae idoneum, sed plane peripateticum, cuius opera multiplex illa et mobilis medicina, quae nunquam sibi satisfacere potest in illustranda corporis animique natura, neque nomen doctrinae meretur, nisi in exhaustae rerum variabilitati ingenium suum usque accommodet omnique tempore nova sit — stabilis et stationaria facta est per

quatuordecim saecula. Similiter et in reliquis disciplinis obriguerunt atque congelaverunt omnia, tantusque marcor occupavit ingenia, ut novi quiddam invenisse ne honori quidem daretur, veteres tantum eddidisse, eorumque placita colligendo ruminasse, maxima eruditorum laus esset. Summa est, quod ingeni primitivas cognoscendi facultates, quod mentis speculativam, alteram sensualem sive empiricam inter se coniungere nescit antiquitas, neque **PLATONEM** cum **ARISTOTELE** conciliavit, neque methodum empiricam rationalem, quam natura humana omnisque doctrinae vis et indoles utique exigit, erroribus utrinque commissis invenit.

Frustra **PSSELLUS**, philosophus saeculi undecimi ingeniosissimus, atque in rebus naturalibus, quoad tunc temporis fieri potuit, versatissimus, *ὑπερτος τῶν γυλιόσοφων* in aula Byzantina, **PLATONIS** manes ab infelibus excitavit, solus qui infaustram liem dirimere varturbulentiori sophistarum scholae disputationibus dialecticis, inanibus, ieiunis resonarunt. Id tantum effecit **PSSELLUS**, quod plurimum contulit ad renaturam in Italia litterarum disciplinam, ut diligenter relegendur **PLATONIS** dialogi a Graecis omnem antiquitatem caeca quadam et inertii delectatione complexis, nec postea oblivioni mandarentur. In occidente vero audacior etiam et corruptior philosophia scholastica hominum ingenia occupavit, rerum naturae prorsus ignara et sermonis incredibili barbarie sordida. Haec omni superstitioni intemperanter subscribendo, stabilitatem et in ecclesiasticis rebus et in politicis firmando, adeoque abuti ausa est, **ARISTOTELIS** auctoritate, ut ipsum eius nomen citaretur in extruendis sa-

garum bustis, quibus nescio inepte magis an crudeliter consortium cum diabolo imputabatur. Horret animus in reputandis nefandae superstitionis vicimis, quae confirmata et a iuridicis et ab ecclesiasticis, malleo isto maleficarum, horrendo atrae bilis malignitatisque humanae opere, et provocabatur usque et sustentabatur per saecula! En causam, cur studiorum libertas media aetate ne cogitari quidem potuit, cur **FRIDERICUS** imperator parum aut nihil effecit litterarum universitates condendo.

Post saecula denum genus humanum deus e tenebris in lucem produxit. Resurrexit **PIATRO**, rediit cum **PLATONE** libertas, quae intra angustos scholae novae Platonicae limites proscripta in mysticam ingeniorum agitationem abierat, nec eam tamen prorsus inutilem vel infructuosam. Nam innata homini abstrusa examinandi novaeque inveniendi libido, firmo naturae fundamento, quo insisteret, ob **PLATONIS** errorem destituta, arcanas aurificum et astrologorum doctrinas provocaverat, quae quantumvis tenebricosae, aliquam certe experimenta insituendi rationem induxerunt, quibus naturae quasi per ambages quaestiones suas proponebant illi qui philosophi proprie dicebantur. Mirum profecto, quantum istiusmodi tenebriones, portenta sua de philosophorum lapide agentantes, in arte chemica praesiterint, illa ipsa vel cogitandi somniandive libertate excitati, quam a **PLATONE** per hereditatem acceptam, vetustissima rei metallicae cognitione temperabant. Factum est ita, ut falsa principia recte inveniendis vel abstrusis rebus occasionem praeberent, quod et nostro tempore fieri videmus, dummodo assidue et diligenter natura quaestionibus scrutantium torqueatur. Non invenitur quidem id quod quaeritur, multa vero alia inter quae-

rendum elucescunt, quae vel ad rectam cognoscendiam aliquando perducunt, vel ab aliis in meliorem usum conversa, doctrinam naturalem augent.

Maturerunt arcanae hermeticorum artes ineunte saeculo decimo sexto, nec defuit, qui eas in lucem produceret. **PARACELSUM** dico, hominem ingeniosum et audacissimum, qui quum a studiis peripateticis a pueris alienus esset, bellum movit internecinum et inexpiabile contra Aristotelicos, ac nescius plane, quam personam tueretur in universa republica litteraria, praeter eruditorum opinionem a parte doctrinae naturalis in auxilium venit Platoniceis a **MARSILIO FICINO** interim non modo in Italia, sed per totam Europam excitatis. Nolo repetere in coetu doctissimorum auditorum quantum et ad ecclesiam et ad litteras reformandas eo saeculo contulerit doctrina Platonica, nam homines, divino afflatu ex altissimo solum ad se redeuntes, e vinculis philosophiae scholasticae tanquam e carcere evolavisse constat, afferre tantum licet, incredibilem vim litterarum genio additam esse, praeclaris illis vel **PYTHAGORAE** vel **PLATONIS** placitis, quae ad vitam naturae universam pertinent, a **PARACELSO** in medium prolatis, quae relegata iam pridem e litteris, arcana ista alchymia veluti squalido in vase feliciter servaverat. Haec intellectum quidem eius aetatis hominum superavere, nam **PARACELSUM** impurus adeptorum grex sequebatur, lapidem philosophorum et medicamenta sciscitantium, ipse vero magis ad excitandam turbulentissimam fermentationem, quam ad docendum vel persuadendum idoneus exstitit, quum litteris, quae ad humanitatem pertinent, ne imbutus quidem esset, nec ideo eruditus placeret: attamen ex aurora venturam lucem non defuerunt qui cognoscerent.

Interim litterarum orbis insensibili quadam vi in dies vehementius commotus est, quae et nolentes adeo affectit, ut sub finem saeculi omnis disciplina naturalis penitus mutata, nec iam sui similis appareret. Iam herbarii **Dioscoridem** non verbis, sed plantas in montibus et arvis colligendo easdemque diligenter describendo ac pulchre delineando commentabantur, iam non fidem habebant **APULEI** portentis zoologi, aurescensente sensim et pedetentim historia animalium naturalis, nec amplius in anatomicis **Galenum** gravissimorum errorum accusare haesitabant meliores, vel eius auctoritatem naturae iudicio praefere; ipsi etiam medici, etsi institutionibus Galenicis imbuti, sepositis tamen qualitatibus elementariis, multo melius morbos observabant, et naturae thesaurus in curandis aegrotantibus multo prudentius utebantur. Quod non ita propono, quasi vetus scholastica methodus cum superstitione, pedissequa sua, uno concursu devicta, et litterarum disciplina continuo ad quandam veluti perfectionem evecta sit: tarde gliscunt artes, nec facile eruditorum vulgus melioribus rationibus adulescit, vel eminentioribus ingenis obtemperat, ipsa denique illud problema, speculativam mentis facultatem cum empirica rerum observatione et intellectu synthetico constanter coniungendi manus est, quam ut vel saeculis decurrentibus solvi possit. Plurimum vero profectum esse in novo stadio adaptato, omissis ceteris, duo maxime viri ostendunt, alter **Baco Verulamius**, naturalis philosophiae, quae experientis nititur, auctor immortalis, alter **Hermontius**, medicus ille, si quis alius, religiosus ac philosophus vere Platonicus, qui universam litterarum disciplinam ingeniosissime complexus, rationem et doctrinam naturae proposuit, non modo notionibus eius

saeculi superiorem, sed nostra etiam aetate admirabilem. Sterilem **Hermontius** logicen istam scholasticam, quae mortuis formulis litteras subegerat, viva psychologia prostravit, eademque vere demum philosophica, quoniam exacta organismi et experimentorum cognitione nitebatur. Servatis luminibus Pythagoricis et Platoniciis, et doctrinae nervorum, quamvis imperfectae, ut tunc erat, ratione habita, exactissime omnium mentem ab anima distinxit, ultra immortalis esset, ultra in nihilum abiret, disertis verbis demonstravit, nec modo hominis christiani esse in res sacras inquirere, sed fidem etiam certa cognitione firmari ostendit, quae non nisi e doctrina naturali esset repetenda.

**Hermontius** igitur singularia quaquaversum pervestigando, eademque alta meditatione in rationem et doctrinam comprehendendo, **Aristotelem**, non dialecticum quidem, quem acerrime impugnavit, sed empiricum, tam ingeniose cum **Platone** conciliavit, ut inter auctores novae doctrinae naturalis summum locum teneret, nisi symbolico quodam et tristi scribendi genere discentes ab alioribus naturae studiis deterruisset. Profecto, si medicoeri saltem eloquentia instructus, dicendo scribendoque in publicum prodisset, vel si fieri omnino posset, ut eius indolis atrabilariae homines dulci illa facundia atque ad persuadendum apta, et gratiarum in dicendo illecebris uterentur — parem nulla saecula vidissent physicum philosophum, novam faciem induisset universa doctrina naturalis, neque tot vel chemiceorum vel mechanicorum, vel et Galenicorum deliramentis, velut undis iactata fluctuasset.

Attamen quae citius et intempesive in eminentioribus ingenis sententiae maturescunt, germinant

eae et augeſcunt tardius in multis, dummodo verae ſint et naturae accommodatae, nec unquam reſtinguntur earum faces. Uno deinde tenore litterarum diſciplina liberalis obſtacula quaevis maiora ſuperando, ſuperſtitionem vincendo, tenebras illuſtrando, ad praefixum ingenio finem tetendit. Nata eſt ſaeculo decimo ſeptimo phyſiologia exactior experimentalis, invenit ſanguinis motum **HARVEUS**, lymphaticum vaſorum genus **ASERIUS**, cerebrum et nervos mirifice illuſtrando viam ad psychologiam munivit **WILLIſIUS**, chemia in doctrinae formam mutata e tenebris ſuis prodiit, phyſice **ARISTOTELI** valedixit, nulla diſciplina incrementa non cepit magna et inſperata. Medicina vero rem herbariam, omnemque hitoriam naturalem, quas ſibi olim ad uſum materiae medicae praestandum in quandam quaſi ſervitutem adſciverat, ſed liberaliter uti ſolet aluerat, manumſiſit demum, **LINNAEI** maxime induſtria liberatas, nec amplius ſpe frustrati ſunt meliores iam pridem concepta, fore ut exacta methodo aliquando uteretur omnis doctrina naturalis.

Primum ea potitae ſunt phyſice et chemia, quae ob matheseos in metiendo et ſupputando auxilium huic prae ceteris idoneae videbantur, et mirum, quantis augmentis ſub finem ſuperioris ſaeculi ob id ipſum ſint ornatae. Secutae ſunt deinde affines diſciplinae; quae quum in anorganica natura verſentur, aetiori cum iis vinculo continentur: mineralogia, quae in diſcernendis lapidibus et mathematico cryſtallorum et chemico partium elementariorum examine utitur, atque nata demum hoc noſtro tempore geologia, quae omnem doctrinam naturalem in auxilium vocando; parva cum maximis conferendo, haud ita pridem Neptunum devincente **Vulcano**, terrae et ſtructuram et hitoriam ex perturbationum veſtigiiſ quibuſcum-

que et vitae organicae reliquiis cognovit. Ipſa denique organicae vitae, multiplicis, oculosque ſcrutantum in ſplendidiffima luce ſubterfugientis natura, tam exacto examini ſubijci coepta eſt, ut ad animam pateret aditus, apertis perceptionum ac motionum legibus in genere nervorum, quod omnem animalis vitae vim et ideam continet.

Proinde iam psychologia naturalis doctrinae pars graviffima extat, nec minus conſequens eſt, quae-cunque doctrina in psychicis rebus verſatur, eam ad normam eius diſciplinae eſſe dirigendam, quae ſenſuum varios fontes, notionum opinionumque et originis et variam dignitatem demonſtrando, fallacia a veris, fidem denique ipſam a ſuperſtitione ſe diſcreturam pollicetur. Quae quum ita ſint, ſingularum doctrinarum rationes inter ſe et mutatas eſſe et inverſas, patet cuique, nec dubium eſt, quin et ipſum linguarum ſtudium, quod olim totum erat in lectionum varietate, nec minutis ſuis admodum adiuvit humanitatis ſtudia, doctrinae naturalis animi pars inſignis et ſit et habeatur a cordatioribus.

In hanc igitur **RENASCENTIUM IN LIBERALI NATURAE STUDIO LITTERARUM AETATEM** incidit univerſitas noſtra ad diem **XVI**. Mensis **Auguſti** anni huius ſaeculi noni a **FRIDERICO GUILIELMO III**. condita. Qualem ſe hucusque patriae praestiterit, in communi ingeniorum certamine, oratoris non eſt ad hunc diem conſtituti exponere, quum plurimi adſint, quorum nomina ob inſignes virtutes per orbem terrarum feruntur, multi qui ad eruditionis fontes his in aedibus olim adgreſſi, egregia perfecerunt in litteris. Liberalibus ſtudiis ali et excoli immortalis mentis naturam, **Borſſorum** populum artibus et litteris ad altiorum perfectionem evehi voluit beatus univerſitatis



nostrae stator. Faxit deus optimus maximus, ut quicunque olim scientiam et doctrinam propagabunt ex his subsellis, sanctam eius voluntatem tueantur usque, ac sementem munifica manu factam messis sequatur uberrima. Patria ita omnis doctrinae gloria ac suo ipsius flore per saecula gaudebit, et donec aedes nostrae eruditorum professorum vocibus resonabunt, FRIDERICI GUILIELMI III. nostrarum rerum auctoris, liberalium studiorum vindicis memoria re-  
coletur pie et grato animo.

Dixi.